

pertinet, difficillimum <sup>a)</sup>). Nam CICERO ita diuisit <sup>b)</sup>, vt duo faceret definitionum genera prima. Vnum earum rerum, quae sunt, alterum earum, quae intelliguntur. Esse autem ea dicit, quae cerni tangi possunt, vt fundum, aedes, parietem, stillicidium, mancipium, pecudem supellestilem, penus, caetera, quo ex genere quaedam interdum nobis definienda sunt. Non esse rursus ea dicit, quae tangi demonstrariue non possunt, cerni tamen animo atque intelligi possunt, vt si usucaptionem, si tutelam, si gentem, si agnationem definias, quarum rerum nullum subsist quasi corpus, est tamen quaedam conformatio insignita et impressa intelligentia, quam notionem vocat. Hoc autem ex genere permulta sunt in arte nostra nobis definienda. Sunt quoque alia non pauca, quae mixti quasi generis sunt, quaeque cernuntur quidem,

et

a) Nolim tamen, quod sentio multos facere, in hanc sententiam explicare effatum IAVOLENI in c. omnis definitio 202. D. de Reg. iur. Nam, quam ibi dicit ICtus, periculosam esse in iure definitionem, eam non intelligo dialecticam illam, sed regulam iuris, quae saepissime in libris nostris definitio dicitur. Quare etiam in basilicis haec vocula vertitur: νομικὸς κανών. Vedit id iam ACVRSIUS, et latius probat IAC. GOTHFREDVS ad Tit. D. de Reg. iur. Idem quoque post CVIACIVM in Papinian. ad lib. 1. Definit. ab initio, b) in Topicis c. 5. l. 26. 27.

eleganter, vt solet, firmat EV. OTTO in Papiniano c. 12. §. 4. repet. prael. p. 383. sqq. et HEINECCIVS de origine testamentifactionis et ritu testandi antiquo §. 4. inter Opuscul. Exercitat. 27. p. 974. Obscurius mihi videtur, quod GVIL. BVDDAEVS, praestantissimus ICtus, dubius haerens, quo significatu definitio hoc loco adcipienda sit, distinguit inter diffinitionem et definitionem in adnotat. ad Pand. ad hoc caput edit Basiliensis. de a. 1557. pag. 399.